

corde delinquimus, latet homines quod apud nos agimus: sed tamen ipso judice teste peccamus. Neque enim rex Babyloniae tunc reus de elatione extitit, cum ad elationis verba pervenit: quippe qui ore prophetico et ante cum ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratae superbiae jam ante deterserat, qui omnipotentem Deum, quem se offendisse reperit, cunctis sub se gentibus praedicavit. Sed post haec successu suae potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se praetulit, et post adhuc tumidus dixit: nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, et in robore fortitudinis meae, et in gloria decoris mei? Quae videlicet vox illius irae vindictam aperte pertulit, quam occulta elatio accedit. Nam districtus judex prius invisibiliter vidiit, quod postea publice feriendo reprehendit. Unde et in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis mutata mente conjunxit: ut districto videlicet justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines aestimasset. Haec itaque proferentes, non potestatem reprehendimus, sed ab appetitu illius cordis infirmitatem minimus; ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant, et qui in planis stantes titubant, in praecipi pedem ponant.

CAPUT V. DE HIS QUI IN REGIMINIS CULMINE PRODESSE EXEMPLUM VIRTUTUM POSSUNT, SED QUIETEM PROPRIAM SECTANDO REFUGIUNT.

Nam sunt nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt, et pro exercitatione ceterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis mundi, abstinentiae robore validi, doctrinae dapibus referti,—patientiae longanimitate humiles, auctoritatis fortitudine erecti, pietatis gratia benigni, justitiae severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quae non pro se tantummodo, sed etiam